



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

9. S. Ignatij Loyolæ in Deu[m] fiducia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

stro Ignatio discenda, infra memorabo: hinc pecuniæ insperatò sup-
ditatæ exempla è vita illius appono.

I X.
Petr. Riba-
den. lib. 5.
vitæ S. Igna-
tij cap. 9.

Roma Petro Codacio nuper mortuo, & S. R. E. Cardinalibus pro-
pter obitum Pauli III. Pont. Max. in noui Pontificis electione occupa-
tis, inopia nostri premebantur: quibus extremam etiam famem metue-
bant multi, humana ratione rem aestimantes. Ignatius verò eo ipso tem-
pore familiam suam auxit, & intra paucos dies, plurimos Societatis Can-
didatos in Societatem admisi: multis eius animum admirantibus, quibus,
quod consecutū est, admiratione noua admirationem ademit. Nā hoc ipso
tempore cum aliquando Ioan. Crucius, domesticus obsonator, homo simpli-
sissimus, & seruens spiritu ex D. Ioannis Lateranensis templo vespere do-
mum reuerteretur, ad amphitheatrum, quod vulgo Colosseum dicunt, in
hominem incidit, qui in manum illi centum nummos aureos silentio tra-
didit. Eius aspectu plurimum Ioannes commotus est, & horrore quodam
perfusus: tradita enim homo pecunia, ex oculis mirantis subito euanuit.

X.

Alias etiam, dum idem Ioannes summo mane obsonatum it,
obuiam illi factus est quidam, qui mar supium aureis nummis plenum in
manū dedit. Et quòd nondum planè illuxisset, quis esset, agnosci non potuit.
Obsonator certè noster Demonem suspicatus, eiusq; timens insidias, in
templum D. Mariae supra Mineruam, quod proximum erat, se repen-
tè coniecit, precatusq; Deum est, ut se dolo, & fraude omni liberaret.
Pecuniam domum allatam, adulterinam nonnulli suspicabantur, & a
Diabolo, ut nobis imponeret, prestigis quibusdam adumbratam. Sed
tamen vera, & recens, & aurea fuit: eaq; debita soluta sunt. Eodem
penè tempore, in alia nostris difficultate versantibus, dum, in propatulo
loco, apertam arculam tomento & scrutis vilissimis referiam, P. Ioan-
nes Polancus domi perscrutatur, & scripta quadam diligentius inqui-
rit, recentes nummos aureos fulgentesq; in ea casu reperit, quibus
subuentum presenti necessitati est. Nam illud diuina quidem providen-
tia signum, minus tamen mirandum est, in summis rei familiaris angu-
stis fuisse, qui nostra necessitatis insci, pecuniam ultro offerrent, vel etiā
benigne domum deferrent: qua ratione nostrā saepe inopiam subleuarent.

X I.

Io. Iunior in
scala cœli.
Leon. Mayr.
21. Maij in
stemmate
Mariano,

Per simile, & aliquantò etiam prodigiosius est, quod à Io-
anne Iuniore aliisque memoratur, de Nobili quidem, & pia, sed
pauper cula matrona, quæ, cum non esset, quod alendis geminis fi-
liabus sufficeret, adduxit eas in templum, ad statuam Matris Dei;
ibi manus filiarum, in manus Mariæ transponens: *Has meas filias,*
inquebat, quas, ob inopiam, sustentare non possum, tibi, o Dei parens,
in manus